Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2649
Quelle:
Copyright:

tencijs Euangelicis et apostolicis determinauit &c. et finis: *Et secundum huius modi protestationem hec hic dicta — ad presens sufficiant.* His Tractatibus si tot alios suo loco ex *Bibl. Augusta* prolatos addas, mirere, Autorem in *Balbini Boh. docta* P. II. subsellium non invenisse. Si *Lupacium* in *Ephemerid.* ad 11. *Octobr.* audias, mors reducem ex Concilio *Constant.* 1414. repentina occupavit. Vide de eo *Fabricii Bibl. med. et inf. Lat.* L. 18. ubi tamen perperam Professor *Viennensis* audit, et *Pezii Dissert. Isag.* ad T. IV. *Anecd.* p. 13. ubi nescio quo fundamento Ordini Praedicatorum adscribitur.

VII. *fol.* 202. Fasciculus *Actorum in Conc. Constant.* 1°. Decretum Concilii de non procedendo ad electionem Pontificis sine expresso suo consensu. T. XVI. *Collect. Concilior. edit. Venet. col.* 212. 2do. Sententia diffinitiva contra Johannem XXIII. *col. ead.* 3^tio^. Petita et obtenta condemnatio Communionis laicalis sub utraque specie. *col.* 218. 4to. Condemnatio Doctrinae Wicleffi. *col.* 119. 5to. Sententia contra Johannem Huss. *col.* 246. 6to. Abjuratio Hieronymi de Praga. *col.* 292. Sed in *Codice* praecedit illius *Adlocutio*, ut apud *Herm. von der Hardt* T. IV. P. 8. col. 501. Adhaerent his *Actis* Collectanea pro *Sermone in Dedicatione Ecclesiae.*

VIII. *fol.* 214. *Incipiunt Statuta Synodalia Reuerendissimi in christo patris et domini domini Wenczeslai patriarche Anthiocenii perpetui Comendatarij Ecclesie olom.* Haec rubro. Dein initium sic: *Dei et apostolice sedis gratia Patriarcha anthiocenus Comendatarius perpetuus Ecclesie et episcopatus olomucensis Wenceslaus honorabilibus et discretis viris et decanis prepositis Archidiaconis* &c. *Salutem in domino qui est omnium vera salus. Nosque super solium pastoralis preeminencie ipsius ecclesie Olom. licet immeritos sua tamen ac ipsius sedis Apostolice dignatione locauit. Idcirco ex iniuncti nobis officii debito in huius nouitatis primordio subditorum vtilitati prouidere uolentes* &c. Sequuntur *Statuta* numero XLIII. inter quae *sexto* instituitur festum S. *Longini* martyris, *cujus*, ut dicitur, *reliquias ad ecclesiam nostram attulimus*, et quidem *quinta decima. ydus. Marcij* cum 40. dierum indulgentia. Ceterum in ipsis Statutis frequenter *Wenceslaus* ad Statuta Synodalia *Arnesti* I. Archiep. *Pragensis* adpellat, quae inter primos in *Bohemia* libros impressos lucem videre *in Nova Plzna de impressione noua* 1476. 4. quemadmodum *Cunzo* sive *Conradus de Zwola* Ep. *Olomuc.* in Constitutionib. anni 1431. se ad nostras praesentes refert, ut videre est in *Arsf. Theod. Fasseau Collect. Synod. et Statut. Dioec. Olom.* p. 45. et ex ea in *Joh. Wratisl. Monse Infulis doctis Morav.* p. 63. Celebrata porro est Synodus nostra, ut ad calcem legitur: *Anno domini M°. CCCC. duodecimo die prima mens. Septembr.*